



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio
Perfectionis Libri Dvo**

Crombecius, Johannes

Mogvntiæ, 1614

VI. Etsi Dei perfecta sint opera, nihil tamen nasci perfectum, sed omnia
acceßione ac profectu indigere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

hominis studium arguunt, quæ non tantum *1. Tim. 2.*
omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem ve-
ritatis venire, sed voluntatem eis suam sacris lit-
teris insinuat, imo internis aculeis incitat & hor-
tatur omnes vt simus perfecti, sicut & Pater noster *Matth. 5.*
cælestis perfectus est: & per Filium suum, Redem-
 ptorem nostrum, modum ac normam quan-
 dam inuexit, ac magistros idoneos constituit ad
 illam perdiscendam, posteritque tradendam,
 vocans innumeros interea, qui se excolendos
 magistris tradant: vt merito identidem fateri
 debeamus, *Deum vnicum esse PERFECTIIONIS au-*
ctorem.

C A P. VI.

Et si Dei perfecta sint opera, nihil tamen na-
sci perfectum, sed omnia accessione ac
profectu indige-
re.

Illa differentia est inter Deum & archite- *Dei & ar-*
 ctum, quod hic, cum opus excitare disponit, *chitecti*
 primum omnium ideam in mente concipit, ac *differentia*
 format: & eam quidem sæpe confusam indige- *in opere*
 stam, quam mutare & variare subinde *conficien-*
 gitur in operis progressu, quod omnes cir- *do.*
 cumstantias ac euentus mente complecti mi-
 nime possit. Opus ei est postmodum materiali-
 bus: & hæc aptantur tanto labore, vt sin-
 gulæ pæne particulæ plures operas & temporis

longa spatia requirant; antequam totum ædificii corpus coalescat, plures anni transeunt; subinde erecta dirui, ac errores reparari aliquoties opus est; non raro vel totum corrui, vel sane hiatus magni ac defectus ruinæ indices obseruantur: Deus vnico momento perficit opus suum, quantumcumque ingens, & si velit, in vltima sua PERFECTIÖNE constituit. Nec id ipsi difficile admodum est: nam esse rerum omnium est, & PERFECTIÖNES earum in se continet. Requiritur ergo tantum vt operi concepto esse suum communicet; nulla indiget præiacente materia; initia, progressus, & consummatio operis, solo eius nutu consummabuntur. Hinc Moyses: *Dixit Deus, Fiat lux: & facta est lux: Fiat firmamentum in medio aquarum: Geminet terra herbam virentem. Fiant luminaria in firmamento cæli: effectus illico secutus est. Ipse enim dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt.* Cur ita? Est enim Deus vbique, rebusque omnibus intime præsens; & vt aliquid producat nullius ope operaque indiget; formã deinde ipse indere potest, & quidem ex nihilo productam. Quod si ex materia producta operari velit, omnes ipsi creaturæ obediunt ad nutum, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Quæ quidem omnia Sapiens cum acutius considerasset; *Qui viuuit in æternum, inquit, creauit omnia simul.* Quod etsi verissimum est iuxta mentem Ruperti dicentis: *Creauit Deus prius verbo æterno, quod postea faceret in opere: creauit in sua sapientia intemporaliter omnia, quæ sigillatim in tempore erat conditurus.* Non enim

Gen. I.

Psal. 148.

Psal. 118.

Eccli. 18.

*In Genesin
An omnia
simul creata.*

enim tantum Deus mundum vnicum creare
 posset æterna præordinatione, mentisque con-
 ceptione, sed & mille mundos materiales vno
 eodemque momento; sicut D. Augustinus om-
 nia, quæ distincte per dies sex in Genesi produ-
 cta narrantur, vno eodemque die condita ac di-
 stributa opinatur. Et quamuis plurimi Patres te-
 ste D. Thoma aliter sentiant, nempe per dies sin-
 gulos omnia à Deo distincta fuisse; tamen in
 hoc ipso Dei actiuitatem exactamque agendi ra-
 tionem extollunt, quod eodem plane momen-
 to rerum inuisibilium essentia, & visibilium ma-
 teria, condita sint. Ita enim Hugo de S. Victore
 cum diuersis locis, tum libro primo de Sacra-
 menti in hæc verba: *Sed nec illud absurdum erit
 si credimus vnum & idem prorsus temporis momen-
 tum fuisse, quo in principio simul creata sit & rerum
 visibilium corporaliumque materia, & inuisibilium in
 Angelica natura essentia. Et hoc est quod scriptura re-
 fert, omnia simul creata fuisse. Qui viuunt in æternum
 creauit omnia simul. Nihilque postea factum est, cuius
 in ipso primordio aut materia, vt in corporibus; aut si-
 militudo, vt in spiritibus; non præcesserit. Nam etsi no-
 ua quotidie creantur anima, noua tamen creatura non
 fit: quia in Angelicis operibus iam tunc, quando creaba-
 tur, eius similitudo præcessit. Hæc ille.*

*Lib. 4 sup.
 Gen. ad lit.
 c. 22. & 34.
 & lib. 11 ci-
 uit. c. 9. &
 in dial q.
 65 ad Oro-
 sium c. 26.
 D. Thomas
 1. p. q. 74. a.
 2.*

*Lib. 1. de
 Sac. p. 1. c. 2.
 & in annot
 elucid. in
 Gen. ca. 4.
 Lib. 1. de
 Sac. p. 1. c.
 5. Eccli. 18.*

2 Non tamen nostro more Deus operatur, *Dei solius*
 quo dum præcipitamus opus illud tantum: *ex operationes*
 parte efficimus, scætetque mendis & erroribus. *perfecta.*
 Deus perfectissime operatur, & in eius operi-
 bus nihil desiderari potest. *Date magnificentiam*
 Deo nostro, (id profecto ei soli competit) quia *Deut. 32*



Dei perfecta sunt opera. Quod duplici modo videtur posse intelligi: eius nempe operationes in genere morum perfectissimas esse, easque omnem bonitatis rationem, quam aliquod opus bonum requirere posset, continere. Rationes enim quibus ad agendum mouetur: æternæ sunt à lege æterna ac intellectu, infinito sapientiæ lumine instructo manantes: vnde nullus error contingere potest: ideoque merito Moyse vocat eum *Deum fidelem*, quod nec falli nec fallere possit. Voluntati vero eius obuersatur essentialis bonitas: atque ideo Moyse, cum dixisset, *Deus fidelis*, addidit, & *absque vlla iniquitate, iustus & rectus*: malitia enim & iniquitas bonitati eius repugnant: quæ quidem bonitas in quo magis quam in ipso relucet? Haud frustra sane nomen benignissimum Patris vsurpat, & talis agnoscit vult: quod Moyse consequenter expressit: *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te?* Finis vero actionum illius est communicatio bonitatis suæ ad æternam suam gloriam, quæ certe ei absque controuersia debetur. Operationis vero materia vel ex se super naturalis est, vt in toto beneficio redemptionis iustificationis, prædestinationis, remunerationis bonorum operum: vel certe eo, velut ad scopum, ab infinito eius amore refertur. Prudentia autem in eo tanta est, quæ semper sufficiens & fuit, & est, eritque ad huius orbis gubernationem, & infinitorum aliorum. Scit omnia, præterita, præsentia, & futura. Corda scrutatur, & renes: *Infernus enim & perditio coram Domino quanto magis*

Ibidem.

Præf. 15.

magis corda filiorum hominum! Non ergo præcipit-
 antia interuenire valet, aut ignorantia, vbi con-
 siliū ac deliberatio deesse non potest, nec irre-
 pere defectus aliquis circumspectionis aut cir-
 cumstantiæ necessariæ. Et hic sensus esse vide-
 tur literalis illius sententiæ: *Dei perfecta sunt opera*
 Agit enim Moyses contra falsorum Deorum *Deut. 32.*
 cultores, & impios Iudæos: ipsorumque idolo-
 rum impotentiam, vanitatem, ac turpitudinem
 detestatur, ac cum Dei veri bonitate, iustitia, ac
 fidelitate confert, vt tuos Iudæos cum ad fidem
 seruandam alliciat, tum in cultu diuino retineat
Dei ergo perfecta sunt opera: non vitiosa, vt nostra:
 non iniusta, non inquinata peccato aliquo:
 subiungit enim, *& omnes via eius iudicia.* deinde,
Deus fidelis, & absque vlla iniquitate. Sed quid Iu-
 dæi? *Peccauerunt ei, & non filii eius in sordibus.* Ex
 his conficitur, opera Dei perfecta esse; quia in
 actiones operationesque eius vitium nullum
 irrepere potest.

3 Nihilominus etiam de effectibus operatio-
 nis diuinæ intelligi posse videtur, perfecta esse
 Dei opera: siue ea quæ sunt ad intra: & quidem
 si de internis Dei operibus quæstio sit, qualis
 cognitio suæ substantiæ, generatio Filij, amor
 mutuus, spiratio, & similia, sic perfecta sunt Dei
 opera, vt eis nihil adilci possit: siue ad extra; sunt
 enim infinitæ PERFECTIÖNIS, & immen-
 sæ durationis. Perfecta sunt & quæ libere
 circa rerum creatarum gubernationem facit:
 qualis creatio & productio rerum, generis hu-
 mani redemptio, victoria de inferni principib.
 è cruce

*Omnia
 Dei opera
 perfecta.*

è cruce reportata, Legis antiquæ promulgatio,
 & id genus alia: quod D. Thomas disertè expo-
 nit. *Lib. de di- uinis mori- bus, circa si nem.* sicut facit. Opus quippe cæli & terræ, Angelorum & ho-
 minum, & aliarum creaturarum, adeo benefecit, ut
 melius excogitari non posset. Similiter opus redem-
 ptionis (quod nemo alius, in cælo, nec in terra, fa-
 cere potuit, sicut legitur in Apocalypsi) in summo bene-
 fecit, prudenter vincendo diabolum in ligno quo vice-
 rat, sub humana fragilitate semper celans diuinam
 potentiam: quia si demones cognouissent, ut dicit Apo-
 stolus, numquam Dominum gloria crucifixissent, id est
 crucifigi persuasissent. Similiter quidquid hodie facit,
 siue peccata vindicet, siue dissimulet propter pœnitentiam:
 siue gratiam subtrahat electis, siue conferat: siue
 fideli animæ quandoque se familiarem, quandoque
 alienum exhibeat: siue sit ventus, siue sit pluuia: siue
 aura frigida, siue calida: siue sicca sit via, siue ma-
 dida: siue terræ fructus abundet, siue pereat: pro illo
 tempore melius fieri non posset: quia ex nimia carita-
 te & benignitate, immensa sua sapientia singula de-
 bito tempore operatur. Opus vero remunerationis in
 summo bene faciet, cum singulis peccatis & singulis
 membris quæ fuerunt arma iniquitatis, reddet iustam
 pœnam. Hæc ille. Soli ergo Deo conuenit adeo
 perfecte operari, ut nemo melius. Illius etiam
 est dicere: Creauit cœlum & terram. Ego eduxi te
 de terra Ægypti, de domo seruitutis. Ego unxi te in Re-
 gem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi
 tibi domum domini tui. Tempus enim præteriti
 (ut aiunt) perfecti, PERFECTIONEM significat:
 unde antiqui pingendi fingendique artifices,

Gen. 1.
 Exod. 10
 2. Reg. 12

vt indicarent opera sua nondum esse perfecta, ea, pendente titulo, inscribentur verbo imperfecti temporis, Faciebat, Pingebat, auctore Plinio. Ex illis (inquit) nos velim intelligi pingendi singulorumque conditoribus, quos inuenies, absoluta opera, Vespasiani pendente titulo inscripsisse: vt, Appelles faciebat: aut, Polycleetus faciebat: tamquam inchoata semper arte. & imperfecta: vt contra iudiciorum varietates superesset artifici regressus ad veniam, velut emendaturo quid quid desideretur, si non esset interceptus. Hæc ille. At Dei perfecta sunt opera. Dixit & facta sunt: mandauit, & creata sunt. Nos id vsurpare non possumus, v-

In præfat. oper. de natur. hist. ad Vespasiana.

Deut. 32. Ps. 148.

2. Reg. 12. Psal. 50. Iac. 1.

nico solo casu excepto peccati perpetrari. Vere enim dixit Dauidi Peccauit: & nos cum illo: Tibi soli peccauit, & malum coram te feci: id enim vere fecimus & perfecimus. Concupiscentia namque cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem: & illud solū opus nostrum est.

4. Dei ergo solius perfecta sunt opera, et si quædam ex iis, quæ fecit, inutilia & nociua esse videantur: quod Chrysostomus latissime demonstrat in hæc verba: Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Considera (inquit) quomodo creaturas omnes verbo, omnia, simul complexus, omnes simul magna laude profecutus est. Igitur cum Deus, qui res ex nihilo, vt essent, produxit, bonas & valde bonas dicit: quis tam insanus, vt vel os aperire, & contradicere Dei verbis audeat? Quoniam enim in visibilibus non solum lumen condidit, sed & tenebras aduersas luci: & non solum diem, sed & noctem contrariâ diei: & in seminibus, quæ ex terra nascuntur,

Operum Dei quædam nociua videntur. Hom. 10. in Genes. Genes. 1.

tur,

tur, non solum herbas vriles, sed perniciosas; & arbores non solum fructuosas, sed & infructuosas; & animalia non solum mansueta, sed & siluestria & truculenta; & in his quæ aquæ produxerunt, non solū pisces, sed & cete, & alias marinas belluas: terra non solū habitabilis, sed & inhabitabilis; & non solū planities sunt & campi, sed & montes & colles; & inter aues non solum domestica & altilis, sed & fera, nullumq; commedum per se adferentes, vt milui & vultures: præterea, in his quæ terra profert, non sunt tantum mansueta & innoxia animalia, sed & serpentes, & lacertæ, & dracones, & leones, & pardi; quin & in aere non solum pluuia & venti vriles, sed & grandines & niues. Præterea sopiantur rationes nostræ, & nihil illi vltra præferatur. Idoneū autem & crebris argumentis per suasionem fit, quod omnia ratione quadam & misericordia ab eo producta sunt, & in summa, nihil temere & absque causa factum. Verum licet nos ob nostræ rationis imbecillitatem ignoremus factorum causam, ipse tamen iuxta suam sapientiam & potentissimam misericordiam omnia produxit. Hæc Chrysolomus, qui horum rationem nullā adfert, sed vtitur testimonio Scripturæ, cui sine dubio credere conuenit.

*Opera Dei
perfecta.
si ornatum
spētes vni
uersi. Gen.
x. Gen. 2.*

5. Mouere magis nos deberent defectus palpabiles, ac imperfectiones, quæ in cunctis rebus creatis inueniuntur: nihil enim perfectum nascitur, nihil quod non suppetias auxiliumque requirat; & tamen perfecta dicuntur esse Dei opera, vt reuera sunt. Viditque Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona: & perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. In rerū enim generali
pro-

productione et si cuiusque rei naturam essenti-
 amque cum suo ornatu sensum augendo specta-
 rit, vniuersi tamē rationē in primis Deus habere
 voluit. Hinc Plato agens de ordine vniuersi, *In Timao.*
Optimi, inquit, ac perfecti opificis erat, optima addu-
cere, & opus perfectum producere, idoque mundum
 incomparabili pulchritudine decorari: pulcher-
 rimus etenim rerum ordo, admiranda PER-
 FECTIO rerum est, & vniuersa venustat. Velut in
 exercitu quisque se iunctas, inualidus imbecil-
 litque est, minoriq; fortitudine. Quod si capita
 capitibus iunxeris, infractū exercitū conflaue-
 ris, qui ex mutua decentiq; ordinatione præci-
 piū fortietur robur, & ornatū incōparabilem.
 Hinc Caietanus in hæc verba. *Viditque Deus cun-*
ctā quæ fecerat, & erant valde bona. Iudicium (ait) di-
uinum circa totum vniuersum describitur: & cum sin-
gula res facta vise fuerint à Deo bona, ipsum non bo-
 num, sed valde bonum visum describitur à Deo: appo-
 nitur aduerbium, ecce, ad demonstrandum, non futu-
 ram, non expectandam, sed presentem haberi bonita-
 tem summam ipsius vniuersi; & significatur per hoc
 quod vniuersum est ita bonum, quod nihil ei deficit, &
 quod nihil habet superfluum, quod nullam desiderat
 additionem. Addit Glossa: *Approbauit Deus cuncta*
quæ fecerat, & ordinem ipsum rerum; & ideo bona erāt,
 & elegantia, & vtilia. Nihil enim temere & absque di-
 gna ratione factum est à Deo in toto mundo, et-
 iam si rationes causasue factorum pro fragilitate no-
 stri intellectus ignoremus. Omnia siquidem Deo bo-
 na sunt, & vtilia ad finem quem intendit in rebus
 certe optimum, & omnibus qui vti illis norunt

nec

*In Catena
 Aloisij Lip-
 pom, in hūc
 locum.*

nec sunt desides. Hæc sane, Dei perfecta esse opera, persuadent, si mundi totius ornatum PERFECTIONEMQUE spectemus: si finem, quem sapientissimus artifex intendit, consideremus sed quid de PERFECTIONE singulorum operum? non enim tantum vniuersa hæc moles, sed & singula Dei perfecta sunt opera.

*Singula
Dei opera,
tam quæ
per se effe-
cit, quam
quæ per
causas se-
cundas,
quomodo
perfecta.*

6. Illud igitur sciendum est, Deum initio mundi genera & species rerum condidisse, rebusque singularibus vim quandam generandi producendique res nouas indidisse. Cum his in productione actioneque omni concurrat ac cooperatur: quia tamen non raro errores defectusque dum agimus, intercurrunt, sæpe etiam contingit manca, prodigiosa & monstruosa enasci. Quædam ergo à Deo solo auctore, quædam è causis secundis oriuntur: & quidem ea quæ per se efformat ac producit, non ita numeris omnibus absoluta censenda videntur, vt nihil accedere possit ad ornatum: soli enim Deo id competit, a deo completum perfectumque esse, vt ad eius essentiam nulla fieri possit accessio. Nec ita statuendum est, quæcumque à Deo fiunt, sic fieri, vt nulla PERFECTIONE indigeant, eo quod Dei perfecta sunt opera. Deus condidit cælum: at illud non illico PERFECTIONES suas habuit: accessit lux, firmamentum stabilitum, diuisio aquarum sub firmamento & supra firmamentum, duo idem luminaria in firmamento cæli, & stellæ innumeræ. Creauit insuper Deus terram: at primum erat inanis & vacua, destituta omnibus ad quæ possidenda naturalem

Genes. 1.

Ibidem.

ralem aptitudinem & quasi propensionem ha-
 bebat: interius carebat seminibus & minerali-
 bus; forinsecus vero hominibus, brutis, arbo-
 ribus, plantis, quibus habitanda, ornanda con-
 ferendaque: nondum distincta in colles & val-
 les; nondum amnibus ac fontibus & venis irri-
 gua; nondum extans & firmata super aquas, sed
 iis pressa & operta. Terra ergo verbo Domini
 facta est; & tamen non fuit vsquequaque perfe-
 cta. Quid? nonne & Legis antiquæ auctor est
 Deus? nonne ideo illa perfecta esse debuit? & ta-
 men de ea dicitur: *Non potuisti in Lege Moysi iustifi-*
cari & Christus nos redemit de maledicto Legis. &: Ni-
hil ad perfectum adduxit Lex Denique Christus
non venisse se inquit soluere Legem aut Prophetas,
sed adimplere. Ergo plena non erat, aliquid PER-
 FECTIONIS deerat. Quare huic argumen-
 to Diuus Thomas respondens ita ait: *Nihil pro-*
hibet, non esse perfectum simpliciter, quod tamen est per-
fectum secundum tempus; sicut dicitur aliquis puer
perfectus, non simpliciter, sed secundam temporis con-
ditionem: ita enim precepta, quæ pueris dantur, sunt
quidem perfecta secundum conditionem eorum qui-
bus dantur, etsi non sint perfecta simpliciter: & talia
fuerunt precepta Legis; vnde Apostolus: Lex pedagogus
noster fuit; vbi venit fides, iam non sumus sub pæ-
dagogo. Deus ergo, iuxta temporis exigentiam,
 aliqua fecit sapienter & perfecte, quæ alio tem-
 pore perfectiora essent; & si perfectius tunc a-
 geret, minus conuenienter facere videretur,
 minusq; perfecte: quia alia infantium, alia viro-
 rum est conditio. Addam & illud, Legem na-

*Matth. 19.**Marc. 10.**Luc. 18.**Rom. 8.**1. Cor. 13.*

turæ habendam esse & re ipsa perfectissimam
& tamen Legem naturæ ab infantia studiose cu-
stodienti Christus ait: *Vnum tibi deest: si vis per-*
fectus esse, vade, vende omnia quæ habes & da pau-
peribus: Denique Lex spiritus vitæ, quæ nos liberat
nonne & ipsa perfectissima? & tamen scriptum
est: Videmus nunc per speculum in anigmate, tunc as-
tem facie ad faciem. Alia ergo incipientium, qui-
que sese in Legis diuinæ obseruatione stabili-
liunt: alia proficientium, & in virtutum scalis
conscendentium; alia perfectorum: quamquam
huius vitæ progressus ad PERFECTIÖNEM
terminum nescit: vtque Deus infinitæ PER-
FECTIÖNIS & bonitatis est ad communicanda
charismata cœlestia, ita & animus hominis
insatiabilis desiderij est ad illa quærenda, com-
plectenda, & quodammodo infinite augenda.
Denique PERFECTIO summa cuiusque rei,
est extrema & finalis, cum scilicet ad centrum
suum finemque peruenerit: & hanc PERFEC-
TIONEM nullus assequitur, qui finem vl-
timum non attigerit. Cæterum nos imperfecti
sumus, & defectuosi: & vt pueruli ad staturam
grandiorem aspiramus. Quid mirum, cum Pau-
lus dicat: *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus*
sapiebam vt paruulus? Qua de re ita Hugo de S.
Victore: Porro ad id quod Deus dicitur creasse ali-
quid imperfectū aut informe, respondemus non nocere,
neque esse inconueniens, quia ad comparationem maio-
ris PERFECTIÖNIS, aut pulchritudinis,
quas ipsemet per se, quando oportuit, addidit, dici de-
bet: sicut quotidie facit pueros imperfectos quantum ad
augmen-

*1. Cor. 13.**In annotat**elucid. in**Genesin. 6.*

+

augmentum quod sequitur, sed tamen perfectos ad numerum partium manuum scilicet & pedum. ceterorumque membrorum. Hæc ille.

7. Addam, ad illustrandam Dei sapientiam, a deo perfecta esse ea, qualiacumque, quæ Deus condidit, nulla ut humana Angelicæve industria aut potentia nouæ alicuius speciei muscæ (verbi gratia) vel flosculum, sed nec ex speciebus creatis excellentiorem, admirabiliorem, magisque in suo genere perfectam possit producere. Merito profecto exclamat Propheta Regius: *Quæ in magnificata sunt opera tua, Domine omnia in sapientia fecisti. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. Delectasti me, Domine, in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Admiranda sane vel in flosculo Dei sapientia: quis artifex assequi poterit? Mirare in adeo exili flore tot varietates, odorem suauissimum, colorem eximium: quot sinus, quot recessus, quot denticuli, quot folliculi ex vna vagina collecti prodeunt! Sapiens nos ad formicam remittit, ut sapientiam discamus: in qua quid magis mirere, an corpusculi partiumque tenuitatem, an animi magnitudinem? De apibus habet Virgilius: *In tenui labor, at tenuis non gloria. Earum amorem erga foetus, fortitudinem animorum, industriam scientiamque rei militaris, belli apparatus, artem ædificij erigendi, disciplinam domesticam, teste Plinio, sedulitatem in melle colligendo, aliaque admiranda, quis non suspiciat atque obstupescat? Quis hominis totam fabricam*

*Sapientia
Dei in crea-
tura. Perfe-
ctione relu-
cet.*

*Psal. 103.
Psal. 138.
Psal. 110.
Psal. 91.*

Prov. 6.

*Vir. lib. 4.
Georg.*

Lib. 11. c. 1.

Oculi hu-
mani de-
scriptio.

depingere; quis partes singulas, compagesque
corporis, & singulorum membrorum compo-
sitione describere valeat? In hoc utiq; microcos-
mo, si in vlla alia re, Dei incredibilis eminet sa-
pientia. Considerate vel vnicum oculum: quo
artificio iudicioque capiti defixus est! & quidem
in sinu quodam, velut caua pelui, vniuersus glo-
bus reponitur; tegitur vero, ne lædi possit acies
palpebra tactu molliore, velut folliculo, quæ
contrahi remitti que possit cum velis; in cuius
crepidine, cartilagine durata, cilia prodeunt,
tamquam pilorum valli, arcendis iis quæ intus
aperto oculo possent inuolare, & vt somno co-
nuentibus, cum eo ad cernendum non ege-
mus, tamquam inuolutus conquiescat. Ad le-
tus hircus seu angulus à natura eiiciendis ex-
crementis, relictus est, ac limus vertendis tor-
quendisque oculis oportunus. Naturæ præte-
rea summus artifex eos mēbranis tenuissimis
vestiuit & sepsit: quas primum perlucidas fecit,
vt per eas cerni posset; firmas autem, vt conti-
nerentur. Sed lubricos fecit, & mobiles; vt & de-
clinarent si quid noceret, & aspectum, quo vel-
lent, conuerterent: aciesque ipsa qua cernimus,
quæ pupilla vocatur, ita parua est, vt ea, quæ no-
cere possint, facile vitet. Colores qui pupillam
sepunt, idonei dati ad species recipiendas
conseruandasque: nam in primis albumen iri-
dem cingit; iris circulo pupillam ambit; pupilla
denique sublustris, speculi instar, adeo perfecte
res obiectas exprimit ac repræsentat, vt eæ in il-
la vitam habere videantur. Quibus optime
sub-

substernuntur tunicæ quatuor: quarum prima cornea, quæ alba est; altera vnea, quæ vna acinum externo liuore repræsentat; tertia vitrea, ab humore vitreo; quarta crySTALLINA. Natura iis conseruandis supercilia velut regmen quoddam opacum suppeditauit, & ad dignitatem fronti conciliandam intercilium depile medium reliquit. Latent præterea oculi vtiliter, & excelsis vndique partibus sepiuntur: primum enim superiora superciliis obducta sudorem à capite & fronte defluentem repellunt: genæ deinde ab inferiore parte tutantur subiectæ, leuiterque eminentes. Nasus ita locatus est, vt quasi murus oculis interiectus esse videatur. *Mirabilia o- Psal. 138.*

peratua, Domine, & anima mea cognoscit nimis. Angustia capituli huius plura exprimere vetant: longe magis ea, quæ de ceteris corporis partibus dici possent, longius persequi.

8. Eleganter, vt omnia, Cicero describit expresso quæcumque rei natura (naturæ vero adscribit, quod Deo erat adscribendum, & quidem, ideo quod Deum ignoraret) attribuit; magnam occasionem præbens assurgendi in admirationem operum diuinorum, ac PERFECTIO- nis singulorum. Vbi de cœlestibus egit, lapsus *Cicero lib. 2. de natu- ra Deorū, circa finem Stirpium descriptio.* ad inferiora, Principio, inquit, eorum quæ gignuntur è terra stirpes stabilitatem dant iis quæ sustinent, & è terra succum trahunt, quo alantur ea quæ radicibus continentur: obducunturque libro aut cortice trunci, quo sint & à frigoribus & à caloribus tutiores. Iam vero vites sic clauiculis adminicula tamquam manibus apprehendunt: atque ita se erigunt, vt animantes

quin etiam à caulibus brassicisque, si propter sati sint, ut à pestiferis & nocentibus refugere dicuntur, nec eos vlla ex parte contingere. Animantium vero quantavarietas est! quanta ad eam rem vis, ut in suo quaque genere permaneant! quarum alia coriis tecta sunt, alia vilis vestita, alia spinis hirsuta: pluma, alias squama videmus obductas? alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. & post multa similia: Miles est quoddam bellum naturale cum coruo: ergo alter alterius ubicumque nactus est, ova frangit. Illud vero ab Aristotele animaduersum, grues cum loca calidiora petentes maria transmittunt, trianguli formam efficiere: eius autem summo angulo aer ab eis aduersus proliquitur: deinde sensim ab utroque latere tamquam rotam cursus auium leuatur: basis autem trianguli, quem grues efficiunt, ea tamquam in puppi ventis adiuuatur: haec in tergo praeuolantium colla & capita reponunt: quod quia ipse dux facere non potest, quia non habet ubi nitatur, reuolat, ut ipse quoque quiescat. In eius locum succedit ex his quae acqueuerunt, eaque vicissitudo in omni cursu conseruatur. Quae fuit hic Ethnicus tribus libris Deum, cui haec posset tribuere: non inuenit: naturae attribuit, quae vni, ignoto Deo, eiusque sapientiae, accepta referre debuisset.

*Animantium
varietas.*

*Grues in
triangulum
digesta auo-
lant.*

*Perfecta
Dei opera
ratione sub-
stantia ac
speciei.*

9. Nec refert quod res huiusmodi subsidia atque adminicula requirant, defectusque quam plurimos patiantur, Perfecta nihilominus sunt Dei opera; nam substantia earum integra est, atque perfecta, totamque speciei essentiam ac naturam participat, quae potissima PERFECTIO est; alioquin, ne ipsa quidem Sacramenta, à Chri-

à Christo Domino instituta, ornamentis suis carere possunt, ac solemnitatib. Et sane de Eucharistiae Mystero differens Apostolus, *Cetera, inquit, cum venero, disponam.* & ipsum Verbum æternum, in vtero Virginis conceptum, non eam statim altitudinem cōsecutū est, quam anno postmodum trigesimo : ac de eo sic Lucas loquitur *Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines.* Concludam hanc veritatem insigni testimonio doctissimi atque pientissimi viri Dionisij Carthusiani. *Vnumquodque (ait) in sua specie, & quantum ad suum substantiale, perfectū est, quia species rerum consistunt in indiuisibili: quia se habent vt numeri, in quibus quacumque vnitatis additio siue subtractio variat speciem. Itaque vnumquodque habet quod ad suam specificam requiritur rationem, atque essentialem PERFECTIONEM. In accidentalibus autem oportet proficere. Et hactenus quidē de his quæ Deo solo auctore producta sunt.*

C A P. VII.

Vt omnia imperfecta diuina ordinatione orientur: ea ipsa tamen ad augmentum PERFECTIONEM que assurgere, hominique profectum in spiritu suadere.

NON erit iam difficile probare, nihil ena-
 sci perfectum, quod è causis secundis e-
 ducitur, omniaque accessione & profectu

F 4

indi-